



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. i



22

I. N. J.  
DISPUTATIO XXII.  
**SELECTARUM**  
**THESIUM**  
**JURIS CERTI & CON-**  
**TROVERSI**

Ex Tit. J. d. iis per qv. ag. poss. d. Satisd.  
& perpet. & temp. Act. iisqve Titulis π. C.J.  
Theod. βασιλικ. & ḵ. respondentibus.

*Quam*  
**PRÆSIDE**  
**JOHANNE CHRISTO-**  
**PHORO BOLß /**  
J. U.D. & P. Secund.

**HEINRICUS APPEL,**  
Regiomonti Pruss.  
**RESPONDENS**  
publicè defendet  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. cl. Ic. LXXXII.

---

REGIOMONTI,  
PRÆLO REUSNERIANO.







I.

Ib. 4. j. Tit. 10. n. & 12. respondent π. L. 3. T. 3. L. 2.  
T. 8. C. Just. L. 2. T. 13. & 57. C. Theod. L. 2. T. 12. Βασιλ.  
L. 17. T. 14. Lib. 8. Tit. 2. & Lib. 1. Tit. 38.

II. Continetur in his Titulis 1. modus exer-  
cendi Actiones per procuratores t. t. j. d. iis per qu.  
ag. poss. t. t. π. C. Justin. Βασιλ. & d. Procurato-  
rib. t. t. Cod. Theod. d. Cognitor. & Procuratorib. 2. Satisfatio t. t.  
j. & Codicis Justin. d. Satisfat. t. t. π. Qui satisd. cog. t. t. Βασιλ.  
Qui satisdare cogantur vel jurato promittant, vel suæ promissioni  
committantur & de jurejurando propter calumniam dando. 3.  
Tempus legitimum & duratio Actionum quæ in heredes transeunt  
vel non t. t. j. d. perpet. & temp. Aet. & quæ ad hæred. & in hæred.  
transeunt.

III. Potest tum per se tum per Procuratorem citatus in ju-  
dicio comparere l. 2. C. j. d. Proc. Est enim procurare pro alio ali-  
quid curare seu in curam & fidem suscipere suam, ubi præfixum *Pro*  
aliquid prô aliô seu alienô administrari significat, quod tamen non  
absolutè intelligendum est Bachov. in Comm. π. d. Procur. Procura-  
tor est qui aliena negotia mandatu Domini administrat l. 1. π. &  
Βασιλ. d. ProC. & defens. quia Procurator mandato constituitur, differt  
ab Advocato qui invitus aliquando constituitur, munus enim quod  
gerit publicum est ad quod nisi legitimas alleget excusationes com-  
pelli potest l. 7. C. d. postul. l. 1. §. 4 π. eod. l. 1. π. d. mun. & bon. è  
contrariò vero quia Procuratoris munus vile ac privatum est, ex  
contraçtu privatorum oriundum coactio sine ullô dubiô cessabit.  
l. 42. §. 2. π. d. ProCur. arg. l. 5. C. d. O. & A. Differt quoque à Nego-  
tiorum Gestore l. 6. §. 2. l. 18. π. Mand. nec non à Tutore Curatore & a-  
liis qui vel voluntate constituentis vel publicis Legum auspiciis vel  
dantis autoritate pupillorum & minorennum negotia gerunt l. 1 π.  
d. Testam. Tut. l. 1. π. d. Tut. & Cur. Denique à Defensore in specie  
dicto l. 46. §. 1. l. 51. cum seqq. l. 61. l. 76. π. d. ProC. quanquam hoc  
non sit universaliter verum l. 8. pr. l. 14. & sequ. π. d. t. §. 1. j. Per qu.  
ag. poss. Alius Procurator est ratione objecti, vel ad lites l. 43. pr. π.  
d. Procur. l. 66. §. 2. π. d. Evidet. vel ad negotia Wissenb. Disp. 12. 8. 7. uter-

que vel generalis vel specialis l. 60. l. 63. π. d. Procur. l. 9. §. 4. π. d. A.  
R. D. Alius Procurator est respectu finis in rem suam Treutl. V. i. d. g.  
θ. i. Lit. A. Procuratio negotiorum extrajudicialium penes fæminam  
esse potest, non etiam procuratio ad lites quamvis velit agere pro  
liberis l. alienam 18. l. maritus 21. C. d. Procur. nisi sit procuratrix  
in rem suam id est mandatas sibi Actiones suo luero exerceat l. 4. G.  
eod. ita enim expresse sanctum est l. 5. G. Theod. d. Cognitor. Procu-  
rat. Nullo pacto fæminæ aut amplius quam sibi competit agere aut pro  
aliis possunt intervenire personis. Fæminæ in rem suam cognito-  
riam operam suscipere non prohibentur Paul. lib. 1. Sent. tit. d. Co-  
gnit. 2. veluti si de matrimonio ejus agatur, si subjecti partus  
arguatur, vel adulterii l. i. §. ult. l. 13. π. d. Carbon. Edict.  
arg. l. un. d. Carb. Edict. E contrario pro aliis agere mulier nul-  
lo pacto potest, ne quidem pro filio impubere, seu pupillo l. 18.  
C. d. Procurat. quare nec Carboniani Edicti beneficium filio impu-  
beri postulare potest arg. l. un. d. Carb. Edict. l. 2. π. d. R. J. Dicta  
l. 5. C. Th. à Tribonianò omissa videtur, eò quod fæminis interdum  
causâ cognitâ pro parentibus agere permittitur l. feminas 41. π. d.  
ProC. Idemque est de Reo criminis l. 6. eod. Sed nec miles ad-  
ministrator alienorum negotiorum esse potest l. 7. & 9. C. h. t. idem  
legis 6 C. Tb. d. t. innuunt verba: *Nemo militantum fiat susceptor*  
*defensorvè causarum nec ad cognitionem alieni jurgii suffragator*  
*accedat ne alienis sese officiis immiscerent, & cinguli sui terrorem*  
*objicerent, armis non privatis irretiri debent negotiis ut numero*  
*& signo jugiter inhærentes Remp. defendant l. 31. C. Locat.* nec quic-  
quam confert etiamsi pro parente filius aut pro Uxore maritus miles  
experiri velit l. 7. C. eod. Rectè tamen inoffensa disciplina  
in rem agit suam l. 9. π. eod. Videtur vero etiam in rem suam agere  
si causam suscipiat legionis aut cohortis cuius ipse membrum est l.  
8. π. d. t. Neque admittitur decurio qui ne laedatur ejus dignitas &  
existimatio sub pena arcetur exilii l. 34. C. d. Decur. Nec is qui ali-  
enas lites redemit l. 15. C. h. t. Ex speciali ratione potentioribus ne-  
gatur procuratio l. 1. C. Nelic. pot. quoad infamem distinguatur an  
infamia certa an dubia Bachov. π. h. t.

I V. Cum quæritur, an alicui procuratorem habere liceat,  
videndum erit annon prohibeatur l. 43. §. 1. π. d. Procur. licet itaque  
usus

usus Procuratoris Neminī regulatiter interdicatur, non tamen dare  
permittitur pupillo cum ipse neque suo neque alieno nomine expre-  
siri queat *L. i. C. Qu. leg. pers. stand.* De minore idem erit afferen-  
dum *L. ii. C. h. t.* Olim ex strictissima *L. 12. Tabb. ratione* non lice-  
bat agere alienō nomine, nisi in *causa populi Tutelae atq; Libertatis*  
usque dum hos testimonios æquo angustiores *Lex Hostilia* eò pro-  
duceret, ut nomine eorum, qui apud hostes essent aut peregrè Rei-  
pub. causa abessent, quive in eorum cuius tutela essent furti agere  
liceret. *Moribus & Consuetudine* tandem receptum est, ut quævis  
causæ privatæ & pecuniariæ civiles per procuratorem coram judi-  
cio ventilari queant *L. 26. C. d. Procur.* Quicunque Edicto hoc pro-  
hibitorio non continentur comparere possunt, dummodo manda-  
tum producant ad personam suam legitimandam, nec auditur quis  
tanquam alterius procurator nisi habeat mandatum legitime factum  
*e. i. d. ProCur.* Mandatum autem hōc loco intelligimus conven-  
tionem inter committentem negotium & promittentem officium  
sive operam *§. 12. j. d. Mand.* unde pendet obligatio omnis & pote-  
stas ProCuratoris. Hinc & mandatum per testes rectè probatur,  
licet hoc ipsum multi negent quos allegat *Mascard. d. prob. Vol. 2.*  
*concl. 1012.* & post multas utriusque sententiæ ampliationes & limi-  
tationes affirmanti tanquam veriori atque communiori subscribit  
*Diss. Bachov. in Comm π. h. t. c. 4. n. 4* Quemadmodum generalis  
locatio non includit exceptos & irregulares casus, ita nec manda-  
tum generale in istiusmodi actibus quicquam operatur ne fiat tertio  
præjudicium, speciale specialia quædam exposcent negotia procura-  
torum ut sunt processus reassumptio, litis renuntiatio, documen-  
torum recognitio, si res caret omni dubio quempiam mandatum  
habere nullum, ne quidem si offerre paratus sit cautionem de rato  
admittendus erit, imò licet alias sit persona prò quā alias est præ-  
sumptio gesta illius Dominum haud difficulter ratihabiturum, si de  
contraria Domini Voluntate constet. Si vero de mandato dubitetur  
cautio de rato ante litis contestationem locum habet *Wissenb. Disp. 12.*  
*θ. 14.* Post litem contestatam ad eam compelli Nemo potest *L. 40. §.*  
*3. h. t.* Ideo *Impp. Gratianus Valentinianus & Theodosius Panceratio P.*  
*F. II. in L. 3. C. Th. d. Cognit. & ProCur.* rescripsierunt: In principio

questionis persona debet inquire & utrum ad agendum negotium  
Mandato utatur accepto. Quibus rite & solenniter constitutis po-  
test esse sententia: Præteritis autem his, nec dici controversiae so-  
lent, nec potest esse judicium. Vel ut Symmachus loquitur lib. 10.  
ep. 32. In ipso limine quæstionis cum procuratio quam C. F. senior  
Martiana mandaverat, invalida diceretur, defensio partis adversæ  
negavit stare personam, cujus procreationem superioris gesta judi-  
cii non tenerent: Contra non exactam prius mandati recitationem  
ajebant; Et mox. Sed quia procuratio legebatur Prætoris alligata  
judicio, hæc præscriptio conquivit. Adeo vero necessarium est  
ut Exceptio ProCuratoria opponatur atque initio mandatum exhi-  
beatur, ut eō demum exhibitō judicium dici possit sententiaque sit:  
contra non exhibitō eō nec controversia dici debet nec potest esse  
judicium, tumquè pars litigans tum ipse judex in cassum laborant,  
qui sine ullo mandatō exhibitō judicium inchoarunt, quod ipsum  
quanquam sine sufficienti interpolationis necessitate relatum esse vi-  
detur in l. 24 C. Just. d. Proc.

V. Obligatio quæ inter Dominum & Procuratorem consiste-  
re solet mandati parit Actionem ultro citroque competentem l. 19.  
π. Mand. Finitur à latere Domini renuntiatione tempestivâ re adhuc  
integrâ l. 12. §. pen. π. Mand. dum ex causa mandati Procuratori nî  
hil abest, & ante litem contestatam fieri potest vel expresse vel ta-  
cite l. 31. §. ult. π. d. t. l. pen. π. d. R. C. nec impeditur pacto de non  
revocando jurato imo & post Litis contestationem à ProCuratore  
non solum Dominus sed & hæredes ejus cæterique successores valide  
interdum renuntiare possunt ita tamen ut nisi præatoria præcesserit  
cognitio Nemo eorum ab obligatione semel constituta recedere im-  
pune possit. Causæ vero sunt ob quas talis renuntiatio locum habet  
ætas seu senectus procuratoris. Propter quam ne suis præesse potest  
rebus. Captivitas quia tum Servus est & omni caret facultate quâ  
alias ad prodeundum in publicum esset habilis l. 19. d. t. Exilium  
fraudulosa absentia inimicitæ prægrandes, metus quoque collusio-  
nis propter incidentem affinitatem cum parte l. 21. & seq. C. eod.  
Confirmat hanc renunciationem sine causa ante litis Contestatio-  
nem & ex causa post L. C. Jus nostrum Prutenicum Provinciale l. 1.

T. 20.



T. 20. §. 12. In quô titulo Procurator & Advocatus synonymicè accipiuntur, licet alias quoad expensas & salario eodem Jure L. i. T. 43. A. 2. §. 1. ab invicem distinguantur. Huic Revocationi æquipollit mors Domini l. 26. π. Mand. quod si tamen ejusmodi naturæ sit mandatum, ut nonnisi mortuo mandante expediri queat l. 12. π. d. t. vel procurator de fato Domini non certior factus bonâ fide mandatum executus fuerit, ne justa ignorantia officii causam in ipsius vertat detrimentum non inefficaciter ager l. 26 l. 58. hoc dictō titulō. A latere procuratoris finitur, renunciatione re adhuc integrā dum Domino copia adhuc tum per se, tum per alium quod in mandatum deductum exequendi superest l. 22. §. ult. π. Mand. Hinc subjicitur mors integrō adhuc mandatō infecuta quia Domini nīl interest, hocque adeo verum ut licet hæres ejus cui mandatum id executus fuerit non habeat mand. Actionem l. 27. §. 3. π. mand. Secus vero se res habet mandatō non ulterius integrō. Mandatum Procuratorium ad litem post litem semel inchoatam morte mandantis non extingui definit Julianus Imp. his verbis: *Nulla dubitatio est post causam in judicio publicatam utpote Dominum litis Procuratorem effectum, etiam post excessum ejus qui defensionem mandaverat, posse inchoatam litem juri- giumque finire;* Quippe cum & Procuratorem posse eum instituere & ad heredes suos posse inchoata transmittere, veteres juris voluerunt conditores l. i. C. Th. d. t. quæ definitio ex duobus elicitor argumentis, alterō quidem generali quod vide licet Procurator post litem inchoatam Dominus litis efficiatur, altero vero magis speciali à subalternis speciebus similibusque exemplis nempe quod Procurator quoque post litem inchoatam possit procuratorem instituere & ad heredes suos inchoatam litem transmittere l. 8. §. 3. π. Mand. l. ii. in fin. C. d. Proc. Tribonianus hanc Juliani decisionem rejicit in l. 23. C. J. d. Procurat. & verbo publicatam substituit agitatam quia proprie publicata in judicio causa est denuntiata, post denunciationem quippe litis exordium auspicari olim dicebatur. Verūm quia denunciations sublatæ jam erant, ideo agitatam supposuit Tribonianus.

V I. Satisdatio est cautio qua adversarium securum facimus de eo quod petitur l. i. π. & βασιλικ. Qui satisd. cog. Satisfactis quis



quis judici aut adversario suo cum ei præstat quod desiderat. O-  
lim si in rem agebatur satisdare possessor compellebatur ut si victus  
esset nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem potestas es-  
set petitor aut cum eō agendi, aut cum fidejussoribus ejus quæ sa-  
tisdatio appellatur judicatum solvi; Procurator vero qui in rem a-  
gebat satisdare jubebatur: rem ratam Dominum habiturum, Tu-  
tius enim est & plus cautionis in satisdatione quam in Actione l.  
25. π. d. R. J. minus habere dicitur qui Actionem habet quam qui  
rem habet l. 204. π. eod. Si vero in personam agebatur ab Actoris  
parte eadem obtinebant quæ in Actione quâ in Rem agitur. Ab  
ejus vero parte cum quô agitur siquidem alieno nomine quis inter-  
veniret; omnimodo satisdaret quia metuendum ne judicium fieret  
elusorium l. 75. d. Jud. Quod si proprio nomine aliquis judicium  
accipiebat in personam judicatum solvi satisdate non cogebatur §.  
1. j. d. Satisd. Hodie Reus sive in Rem sive in personam convenia-  
tur cautionem præstat quod in judicio usque ad finem litis permane-  
re velit N. 96. c. 1. Si præsens est cavet pro suo Procuratore velle  
judicatum solvere & quod ipse in propriâ personâ eō tempore, quan-  
do sententia ferenda est velit in judicio comparere. Cautio con-  
ventionalis & legalis fit Fidejussoribus vel pignoribus, hæc enim  
ipso jure Civili introducta est l. 21. §. fin. π. d. Const. pec. l. 4. §. 8. junct.  
l. 2. d. FideiC. Libert. in illa is qui in Contractibus Fidejussorem dare  
tenetur dando pignora liberatur l. 59. in fin. Mand. arg. l. 25. d. R. J.  
Cautio judicialis seu præatoria ordinariè fit tantum fidejussoribus per  
pignora vero, per re promissionem nudam aut juratam promissio-  
nem extra ordinem arg. l. 1. §. 9. d. Collat bon. l. ult. §. 3. Qu. leg. In-  
terponuntur prætoriae cautiones super eō quod interest, indeq; pigno-  
ra non sufficiunt quia quæ qualia deponenda sint sciri nequit eadem  
que multis casibus obnoxia tædiosam requirunt custodiam N. 53. c.  
2. § 3. N. 112. c. 2. Manifesti quoque occurrunt ii textus citata l. 1,  
π. ΕΓ βασιλ. Qui satisd. cog. l. 4. §. 8. d. FideiC. libert. l. item 6. §. ult.  
Quib. mod. pign. solv. qui pignoratitiam cautionem contradistin-  
gvunt satisdationi id est cautioni fidejussoriae. Nec obstat dictum  
plus cautionis esse in re, quoniam id non simpliciter sed respectivè  
verum est, si forte contingat fidejussores labi facultatibus. A re-  
gula



gula tamen in l. 7. d. prætor. stip. proposita quidam casus exce-  
pti fuerunt: veluti cum de conferendo agitur, ubi de quantita-  
te facile constare potest sic constat de quantitate legati l. 1. §.  
9. d. Collat. junct. l. 2. §. 3. Quod Leg. Satisfatio non requi-  
rit plures Fidejussores, verum unus locuples sufficit, & in civilibus  
& criminalibus quia leges locupletem unum admittunt qui citra  
injuriam non potest recusari l. 2. 3. 4. l. 5. §. 1. π. Ε βασιλ. Quo-  
satisfd. cog. locuples est qui habet loculos plenos, vel quasi loco  
plenus quod divitiæ Veterum in immobilibus & agris ferè consiste-  
bant. Præter facultates requiritur & facilitas conveniendi, quæ in  
duobus consistit ut sit ejusdem fori l. 1. π. Si quis in jus voc. non ier.  
& ne sit potentior qui Actionem eludere & evadere possit. Ut  
cautio idonea sit quam maximè etiam personæ considerandæ sunt.  
Quædam enim omnino non possunt conveniri ut Servi qui ex causa  
fidejussionis nec de peculio obligant Dominum, quædam ut fortè  
obligentur, sed perpetuam Exceptionem habent quam defenduntur  
ut mulieres, quædam contra promissionem ferè in integrum resti-  
tuuntur ut minores. Hujusmodi personæ recusari possunt, sicut &  
aliæ inopes & tenues. Sed quid si admissæ? Interest an per erro-  
rem an sponte hoc factum & inter istas personas interest. Nam  
siquidem quis admiserit sponte eos qui locupletes quidem non satis  
sunt, sed alias sui juris masculi maiores &c. sunt, idonei facti in-  
telliguntur per admissionem & approbationem l. 3. in fin. π. d. Fi-  
dej. Quod & obtinet in iis qui suppositi Jctioni non sunt aut pri-  
vilegium fori habent, imputet etiam sibi qui tales admisit: Quod  
si servus aut mulier dati sunt Fidejussores verius videtur nihil actum  
etiamsi quis sciens tales promittere passus sit, cum non nisi lusisse pos-  
sint videri qui tales Fidejussores aut dederunt aut acceperunt: licet  
enim mulier quæ intercessit solvere possit efficaciter tamen ejus per-  
sona. per SC. Vellejanum ad fidejubendum facta est inhabilis. Sed sane  
mirum videatur quod in l. 3. d. Fidej. cum muliere & servo conjungi-  
tur filius. quem & obligari & conveniri posse constat, forte ideo quia  
nulla contra eum est exactio & executio, itaq; creditor scopum suum  
consequi non potest & loquitur d. l. 3. d. casibus quibus in patrem Actio  
de peculio non datur. Si decesserit qui Fidejussorem dederit judicio si-

stendi causa Fidejussor non tenetur, licet judex ignorans exhiberi decreverit; sed et si post decretū ante diem exhibitionis decesserit, fidejussor non tenetur: si tamen post diem quo exhiberi debuerat decesserit aut Civitatem amiserit tenetur *l. 4. π. Εβασιλ.* *Qui satisd. cog.* Teneatur enim Fidejussor ad factum exhibendi nec exhiberi decedens potest, & sicut debitor liberatur naturali interitu rei debitæ ante moram: ita & factum quasi interire censetur, cum in eum statum res deducitur ante moram ut amplius præstari non possit. Fidejussor inutiliter datur his qui agere non possunt *l. 1. §. 1. π. Εβασιλ. eod.* Excepit etiam Prætor personas quasdam ut parentes patronum filium uxorem nuprum &c. à quibus pietatis & conjunctionis intuitu qualemcumque fidejussorem judicio sistendi causa vult accipi *l. 2. §. 2.* *Qui satisd.* Hodie ait *Wesenb.* ad hunc Tit. *§. 7. in fin.* cum nec Fidejussores nisi principali excusso conveniantur *Auth. præsentē C. d. Fidej.* receptum esse etiam pignoribus depositione pecuniae in judicio caveri posse. Ab hac sententiâ recedit *Treutl. Vol. 1. diss. 5. θ. 2. lit. A.* quia excussionis beneficium introduxit *N. 4. c. 1.* quæ lata est anno *Bellisarii Consulatus IV.* Jam vero posteriores Novellæ adhuc Fidejussores requirunt nempe *N. 53. c. 2. Ε 3. §. 2.* lata est post *Consulatum Bellisarii V.* Item Fidejussores exigit *N. 112. c. 2. in princ.* adhuc postea promulgata *Anno Imperii Justiniani 15. Pac. 1. concil. leg. 67.* nisi velimus dicere moribus hanc tam scrupulosam satisdandi per Fidejussores necessitatem in desvetudinem abiisse.

VII. Quibusvis honestis Viris remitti solet necessitas satisdandi ideo nonnulli ob dignitatem juratopromittunt *l. ult. C. d. Principibus agentium in reb. l. 12. l. pen. C. d. dign. l. 12. pr. C. d prox. sacr. scrin. lib. 12. Tiraq d. Nobil. c. 20 n. 189.* pleriq; vero propter necessitatem ab onere satisdationis liberantur neq; tamen Fidejussores invenire idoneos possunt. Ne enim per difficultatem inveniendi differantur judicia, & paupertas debitoris obstet agenti, quo minus jus suum mature consequatur, ideo jusjurandum Reis relinquitur, ut illud pro satisdatione præstent *l. fin.* *Qu. satisd. cog. l. 4 C. d. Ilſufr.* nec tantum in civilibus sed etiam interdum criminalibus *§. necessarium in Auth. ut null. jud.* Nam cum exigitur cautio talis peti videtur, qualis à Reō præstari potest, ad impossibile nullus obligatur *l. impossibilium*

*d.R. J.*



d.R. 7 & interest actoris ejusmodi cautionem recipi, alioquin ulterius procedi posset. Sunt tamen casus quibus in causâ principali ad juratoriam cautionem Reus non admittitur, ut si de fugâ suspectus sit, tum enim, ut verius cautum esse possit agenti arresti nexu obstrin- gitur *l. pen. d. pet. hered.* quanquam arrestum verbale non plus ope- retur cautione juratoria, reali vero quemvis suspectum in causa e- tiam civili constringi & custodiæ mancipari absurdum esse videtur, si tamen arrestum reale locum habet *l. litibus 8. C. d. Agric. Lib. XI. S. 1. R. l. 2. a 5.* prius summarie de suspicionis veritate consta- re debet. *l. qui ita* §. 1. *ad Trebell.* Arrestum jus sistendi dicitur quia quod arrestatur sistitur in loco & derivatur à gallico *Arrester,* quod idem est ac retinere, detinere vel gradum sistere, estque re- medium juris executivum authoritate vel publicâ vel privata pro majori Creditoris securitate in personam aut res alicujus impetra- tum, ad hoc, ne rebus nondum cum Creditoribus compositis di- moveatur loco *arg. l. sed si bac 10. n. d. in jus voc. l. 10. §. 16. π. Qu.* *in fr. Cred. l. 9. π. d. Serv. export.* Aliud Arrestum est publicum, a- liud privatum. Publicum vel Legis vel Magistratus *l. un. C. ut. om.* *jud. tam civil. quam mil.* Privatum fit à privato Creditore sine au- thoritate publica, vel ex conventione partium *l. 5. l. 7. §. 7. π. d. pact.* vel citra conventionem, quanquam illa citra periculum fugæ vel moræ illicita sit *l. 10. §. 16. π. Quæ in fr. Cred.* Alia personalis qua- persona capit, alia realis quâ res detinetur *Gail. lib. 1. d. Arrest. c.* *ii.* Inter personas sistendi & arrestandi primum locum habet Creditor cujuscunque generis & qualiscunque is fuerit, vel quacunque de causâ ei debeatur, si videat debitorem facultatibus labi, ipsius enim gratiâ arresta inventa sunt *Carpz. Const. El. 29. p. ii. def. 27.* Deinde cum heres ejusdem potestatis & juris sit cuius defunctus *l. heredem* *59. π. d. R. 7.* & nominato Creditore censeatur nominatus ejus heres ita ut censeatur eadem esse persona *N. 48. l. ult. C. d. Im-* *pub. & al. subst.* ideo recte utitur hoc jure *Tiraq. in tr. la mort sai-* *fit le vif part. 2. declar. ii. n. 4.* Præterea ut conjuncta persona sine mandatô agere *l. 3. π. Sol. mat.* ita etiam arrestum prô conjunctâ per- sonâ impetrare potest. Legatarius quoque quamvis à Jure sistendi excludendus videatur eo quod propriè Creditoris appellatione non

contineatur *I. fin. §. 10. C. d. Jur. delib.* Nihilominus tamen aditā hereditate heredem rectē sīstīt, siquidem à die hereditatis aditæ, non autem à die mortis intelligitur dominium legati cum effectu in Legatarium transire *I. 68. §. 2. π. d. leg. 1.* Imo quandoque etiam ante aditionem si metuendum ne heres res legatas prodigat *t.t. π. & C. II in poss. leg.* Cessionarius cum & is verè & propriè Creditor dicatur *I. qui stipendia 9. C. d. ProCur.* & repræsentet primum Creditorem *I. 2. C. d. Donat.* rectē arrestare potest *Rom. Conf. 142.* Fidejussor quando is luit & redimit suā fide aut pecunia obligationem debitoris principalis, fruitur etiam illo beneficio. Nec Creditores soli arrestandi jus habent sed & eorum nomine Procuratores *I. 1. π. d. ProC.* modo speciale mandatum habeant, non solum quia causa arresti est Executiva sed etiam quoniam omnis causa eget speciali mandato, ex quā Dominus in pænam incidere possit *I. 1. §. 2. π. Si qu. iudic. non obt.* Eadem est ratio in socio *Dd. ad I. nemo 35. π. Prō Soc.* Consors litis circa Arrestum eodem ferè utitur jure quia pro consorte absente communi in negotio civili tamen post litem, legitimè contestatam & ordinatam sine mandato agere & excipere potest *I. 2. C. d. Confort. ejusd. lit.* Hospes etiam prō consumptis in diversorio, quia Reip. interest hospitia haberi prō peregrinantibus *I. 1. 1. 5. π. Naut. Caup. Stab. Menoch. rem. recip. poss. II. n. 9.* Regulatiter Arresto obnoxius est Debitor cum periculum fraudis vel suspicionis subest *I. 10. §. 16. π. Quæ in fr. Cred.* vel si debitor Executio nem passus in bonis nihil amplius habeat, unde reliquum solvatur præter nomina, tunc ad instantiam Creditorum usque ad quantitatem concurrentem pecunia debita arrestatur apud debitorem debitoris denunciando sub pæna, ne solvat id ad quod est obligatus suo Creditori immediato sine judicis ulteriori permisso *I. à divo 15. & sic quoque 8. π. d. Re jud.* Non licet Arresto implicare milites armis sanguine suo rutilantibus Rempub. defendantes *I. 1. π. d. Testam. mil.* nec Legatos *I. Sanctum 8. §. Sanctum autem 2. π. d. R. D. I. 2. §. 3. I. 24. §. 1. I. 26. π. d. jud.* Indecorum quoque est Doctores & Advocatos eorumque salario Arresto ligare arg. *I. Medicos 6. C. d. Profess.* Eximuntur quoque res nullius momenti, instrumenta ad agrorum culturam pertinentia item cadaver. Apud Gentiles

tilem impium habebatur viso cadavere infepulto non injecisse pulvrem. Inhumanum enim & ignominiosum imo ab omni humanitate verecundia alienum est si sepultura maxime favorabilis impediatur *I. 27. π. d. Condit. Inst.* Ad hæc nec debitor moribundus vel mortui familia intra tempus novem dierum lucui destinatum est molestanda *N. 15. c. 5. Auth. sed. neque. C. d. Sepulchr. viol.* Magistratus non omnibus indistinctè Arrestum concedere debet, sed præviâ summarîa inquisitione *Gail. in tr. d. Pign. c. 1. n. 6. II. & 12.* Nec sufficit Arrestum legitimis mediis esse petitum, impositum denunciatum & protocollo insertum, sed necessarium est præterea ut Creditor per intervalla singula, vel de unâ quaternâ in aliam illud prosequatur, quæ & alia requisita habent *Constit. Elect. 29. p. 1. in pr. Churf. S. N. G. O. tit. 51. P. L. R. L. I. T. 51.*

VIII. Suæ promissioni committuntur qui res immobiles in territorio ubi litigatur possident *I. sciendum 15. π. Qui satisd. nam cum pro prædiis prædia sufficient, quorum in possessionem mittatur Actor, si Reus vocationem in jus aspernaretur I. hæres absens §. 1 π. d. judic. t. t. d. bon. auth. jud. meritò alia cautio ab his non est requirenda in civilibus sed sufficit nuda de sistendo promissio interposita scil. stipulatione *S. si scriptum j. d. inut. stipul.* Hodie qui neque immobilia habent neque Fidejussores dare possunt juratoriaæ cautioni relinquntur. Hujus autem jurisjurandi ex moribus nostris duo sunt capita: Primum ut litigator juret se Fidejussores invenire idoneos quamvis summa diligentia adhibitâ nequivisse? deinde, de quibus cavendum erat ut ea sanctè se facturum re-promittat *Chilian. in pract. c. 36.* Quod apud Sax. propter anceps perjurium ita temperatum est ut tantum juretur de credulitate. Jure nostro Provinciali tenetur quis jurare de impossibilitate *P. L. R. L. I. T. 27. §. 3.* Litem ipsam respicit cautio judicatum solvi, quæ non Procuratorem Rei sed Actorem respicit ut ex eâ judicatum consequatur, cum præsertim quo casu cum mandato intervenit nullum sit periculum procuratoris, siquidem in eum Actio judicati denegatur *I. 4. π. d. Rejud.* Sunt & aliæ quædam cautiones quæ occasione judicii præstari solent, sic judex olim in singulis causis juramento cavere solebat, sed hæc cautio quoad hanc tractationem impropriè*

dicitur. Sic cautio securitatis sive salvi conductus quæ datur à Magistratu illi qui ob delictum vel aliam causam in judicio comparere non audet, non tamen is qui salvum conductum petit sceleri suo patrocinium quærerit, sed propter metum injuriæ & contra hunc præsidium petere videtur urget enim suam innocentiam quia alias fese ad comparendum minimè offerret & solummodo vel locum vel judicem suspectum arguere videtur: ut adeo salvo conductu concessio nonnisi via facti & violentia exclusa intelligatur. Quod si igitur via juris contra eum procedatur ipsiq; justitia administretur, nil quod conqueratur habere potest, concedens enim timiditati & suspicioni consulere non vero quasi impunitatem delicti concedere voluit. Huc refertur cautio de non offendendo quæ quadrifariam accipitur 1. quæ datur à re rei t.t. *damni inf.* 2. quæ à re personæ *l. qui bona* § *quidam eod.* 3. quæ à persona rei ut si quis metuat ne alter possessionem suæ rei violenter invadat *l. Si super possessione C. d. Trans.* 4. quando persona personæ cavet, in quâ requiruntur *a.* ut quis metuat injustam & violentam offensionem *B.* ut alter exequi soleat minas *γ.* postuletur hæc cautio *Hahn. in obs. ad Wes. ad d. tit.*  
*Qui satisd. cog. n. 2.*

I X. Actor tenetur Actionem instituere intra legitimum tempus quod unicuius Actioni præfinitum est. Nam post aliud tempus actiones etiam ipsò jure sublatas esse, & quidem adeò, ut nec firma naturalis obligatio maneat residua quod colligitur *ex l. 3. § 4. C. d. præscript. 30. ann.* Separandæ vero hic sunt Actiones civiles à prætoriis quæ divisio desumitur ex distinctione juris quod aliquando in *civile & prætorium* dividitur §. 3. § 7. j. d. *J. N. G. & C.* Civile continet sub se *quinque partes* sive *species* videlicet. Leges unde *Action F. E.* Action de pauperie quadrupedis, action de pastu pecoris &c. *Plebiscitum* unde *Action L.* Aquiliae de damnō datō *SCTum* ex quo petitio hereditatis ex *S C. Orphiciano & Tertyll.* *Constitutiones Principum* ex quibus omnes fere Actiones quæ dicuntur Condictiones ex Lege, Condictio ex *L. Diffamari C. d. Ingen. man.* in causa diffamationis. Condictio D. Pii quæ datur arrogato sine causa præterito, vel exheredato pro quarta bonorum arrogatoris. *Condictio ex L. Si confiterit C. F. R.* quæ datur tunc cum quis post litem

Item contestatam occupavit aliquid de alieno & *Responsa prudenterum* Prætorium vero continet tantum Prætorum seu Magistratum *Edicta*, unde descendunt Actiones quæ in §. 3. & seqq. d. *Aet.* proponuntur videlicet *Actio publicana Serviana* &c. Civiles Actiones ante *Imp. Theodosium* erant perpetuæ *pr. j. d. perpet & temp.* Ex constitutione vel *Theodosii* in l. 3. & seq. C. d. *praescr. 30. ann.* Actionibus tam realibus quam personalibus tempus 30. annorum est præstitutum ita ut regulariter nullæ Actiones ultra illud protendantur tempus. Attamen & illæ ipsæ Actiones tricennales dicuntur perpetuæ comparativè respectu temporalium anni biennii triennii quadriennii quinquennii 10. retro annorum. *Eustath. liber τοῦ ζόνων Διασημάτων* qui inter opera à *Cujacio* hac de re græco refertur. In Jure autem Græco Rom. à *Frehero* edito reperitur hic liber *tom. 2. in fin.* nec non in ratione prætoriarum; quia causa lex civilis erat perpetua Ergo & Actiones ex Legibus proficiscentes. Actiones prætoriæ quæ ex propria prætoris *JCtione* descendant plerumq; intra annum tantum vivebant, *hoc est* tantum annales erant, quia Edicto Prætoris finem afferebant Calendæ Januariæ *Cicero Verr. 3.* etiam tum necessariò expirabant Actiones ex illo Edicto descendantes, ita quidem, ut subinde neque ultra per paucos dies viverent, si nempe paulo ante Calendas Januarias competere alicui cœpissent. Qualis causæ talis effectus. Sed Magistratus Prætoris fuit annuus. Ergo etiam ejus *Edicta*, & Actiones ex edictis descendantes fuerunt tantum annuæ. Sed hoc procedit in Actionibus ex propria prætoris *JCtione* descendantibus, non vero in iis, quos jam ante constitutas insuis Edictis tantum proposuit uti est *Actio Commodati l. 1. π. Com.* *Actio depositi l. 1. §. 1. π. deposit.* Sunt tamen & Actiones prætoriæ quæ in perpetuum dantur nempe Actiones rei persecutoriæ, & quæ juris civilis rigorem non emendant, exemplum est in bonorum possessoriæ petitione hereditatis, & in fideicommissoria petitione hereditatis. Prætoriæ quoque pænales utili tantum anno durant, hinc tamen excipitur furti manifesti *Actio*, rationem subjungit *Bachov. in j. Comm. ad pr. tituli Vi bon. rapt.*

X. Ex Contractibus Actiones procul dubio heredibus & in heredes competunt, licet sit pænalis ex stipulatione pænali *Actio*,

quæ



quæ stipulatio solet subjici obligationibus de faciendo §. ult. j. d. V.  
O. quæ pœna fungitur vice ejus quod intereat, itaq;e persecutoria  
rei hæc Actio & ex conventione descendens in heredes omnimodo  
datur, sicut & reliquæ ejus generis; adeo ut idem obtineat etiam si  
defunctus dolum commiserit, nihilominus in solidum hæ Actiones  
in heredes dantur l. hoc jurej. 152. l. ad ea 157. in fin. d. R. J. l. ex depositi  
12. l. ex contractibus 49. d. O. & A. l. 7. §. 1. Deposit. nec obstant §. 1. j.  
d. perpet. & temp. verba: *Aliquando tamen etiam ex Contractu A*  
*ctio in heredem non competit, veluti cum testator dolose versatus*  
*est, & ad heredem ejus nihil ex dolo pervenit.* Theophilus e.g. al-  
legat Actionem Depositi quam si dolo defuncti res deposita perie-  
rit, negat dari in heredem. Sed hoc contrariatur l. 7. §. 1. depositam l.  
ex depositi 12. π. d. O. & A. Hottmannus restringit hoc exemplum  
ad depositum miserabile ex quô in depositarium quidem ipsum in-  
duplum, sed in simplum tantum in heredem datur Actio. Sed hæc  
restrictio non excusat Theophilum loquentem nominatim de re quæ  
dolo Depositarii periit: nec locum habere potest hæc restrictio, vel  
quia simplum utique solidum est, & alterum simplum pœ-  
na & extra solidum est: vel quoniam non simpliciter hæc Actio est  
in duplum sed ex accidenti & contra insificantem Cujacius lib. 13. o.  
c. 39. tentat primùm postea verissimum esse affirmat lib. 21. c. 2 he-  
redem ob dolum defuncti in Contractu admissum non aliter teneri  
in solidum, quâm ubi aliquid ad defunctum vel heredem ejus per-  
venit ex eô dolô l. i. C. d. hered. Sed hæc Lex i. minimè agit de dolo  
vel dolo proximâ lata culpa sed de culpa non lata i.e. leví culpa ob  
quam heres conveniri nequit l. 4. D. d. mag. conv. Illud etiam quod in  
fine additur nisi quod lucrum ex damnô pupilli captatum sit ad ean-  
dem culpam levem referri necessarium est, ex quâ scil. heres conve-  
niri potest, cum quid lucri ex eâ percepit aut ad alium gratia trans-  
tulit Ant. Matth. add. §. j. in not. & Bacch. in Comm. j. At Mynsing  
n. u. intelligit de Actione de dolô quæ nascitur occasione Contra-  
ctus quia nulla est Actio ex contractu cui dolus causam. Plures o-  
piniones hac de controversiâ recenset Manz. ad. §. 1. j. d. perpet. &  
tempor. Act. n. §.



Kc 3004

ULB Halle  
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter 1  
Sammelbd. ? oder  
Ludwaffene Werte ?

10.02.12






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue



N. J.  
ATIO XXII.  
CTARUM  
ESIUM  
RTI & CON-  
VERSI  
qv. ag. poss. d. Satisd.  
Act. iisqve Titulis π. C.J.,  
& X. respondentibus.  
*Quam*  
ÆSIDE  
E CHRISTO-  
RO *Golk*,  
& P. Secund.  
US APPEL,  
monti Pruss.  
ONDENS  
cè defendet  
ORIO MAJORI  
loc. LXXXII.  
OMONTI,  
EUSNERIANO.

22